



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum

Qvae Complectitvr Mysteria Diuinitatis, Trinitatis, & perfectionum Dei: ac
de beneficiis eius in homines, naturalibus & supernaturalibus

Puente, Luis de la

Coloniae, Anno M.DC.XII.

Med. 5. De infinita Dei perfectione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-38214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-38214)

Tres diuinas Personas; quia est impossibile vnam sine altera videre: & hac omnium trium visione manebunt saturi per totam æternitatem. O Trinitas beatissima, & Vnitas gloriosissima, quid tibi reddam, pro clarissimis adeo testimonijs, quæ de te nobis reddidisti, & etiamnum reddis, reddesque incessanter. Quod ego desidero, est, tria illa amplecti, quæ testimoniū dant in terra, spiritum videlicet aquā, & Sanguinem, adorans, amans, & imitans Spiritum Christi Domini mei, lauans me aqua, quæ ex pretioso illius latere fluxit; & meditantis sanguine, quem ex Diuinis suis venis effudit. O Utinam mihi daretur spiritus amoris, aqua lacrymarum, & sanguis pœnitentiæ, quibus testimonium redderem, quam multis sim tibi obstrictus, vt sic fierem vnum tecum vnione charitatis, ad te laudandum & glorificandum in æterna tua gloria, Amen.

MEDITATIO V.
DE INFINITA DEI PERFECTI-
ONE.

S. Thom. 1.
p. 1. q. 4. a. 1.
& 2.



PERFECTVM illud vocamus, quod habet in se omnia, quæ potest & debet habere iuxta naturam suam; ita vt nihil nec minima quidem pars deesse. Nam quidquid illorū

desit, aliquam illi imperfectionem adfert. Hoc idem appellatur PVLCHRVM, quatenus recreat corporis & anima aspectum. Appellatur etiam BONVM, quatenus mouet, afficit, trahitq; ad se voluntatem aspicientis. Ideoq; tria haec nomina *S. Thom. 2. & epitheta*, in scriptura Diuina tribuuntur *p. q. 5. a. 4. ad 2.* Deo, eiusque operibus, propter integritatem & plenitudinem, quam habent in omnibus, quae eorum natura postulat, & debet habere. Haec praemissa nominum interpretatione, rem ipsam significatam declarabimus.

PUNCTVM I.

CONSIDERANDVM primò, quòd prima & suprema perfectio nostri magni Dei Trini & Vnius, sit, esse aded perfectum, *S. Dionys. de Diuin. 20. min. c. 5.* ut in propria sua natura, includat omnes perfectiones & excellentias possibiles, absque *S. Aug. in Mans. 6. 32* vlla prorsus imperfectione; ita vt nihil omnino illi desit eorum, quae in Deum cadere possint; nec sit possibile imaginari veram aliquam perfectionem, cuius Deus sit capax, quae non sit in illo, in omnibus perfectionis gradibus, quos possibile est illam habere, absque vilo termino aut limite. Quamobrem dicit Scriptura: *a magnitudinis eius non est finis; & quod: b spiritus Domini continet b Sapi. 1. 7. omnia; & quod: c ex ipso, & per ipsum, & in c Rom. 11. 36* ipso sint omnia, cum infinito perfectionis excessu, absque admixtione imperfectionum, quas habent in ipsis creaturis. Ideoq; ingenti

S. Aug. Me-
dis. c. 12.

admirationis & gaudij affectu, dicam Deo Domino nostro: *Deus meus & omnia*. O DEVS meus, Deus infinitæ Maiestatis, firmissimè credo, te esse omnia, quatenus cum infinita eminentia, in te complecteris omnium perfectionem; quia omnia accipiunt à te perfectionem, quam in se habent. Tu etiam es omnia, quia es principiū & finis, idea & exéplar perfectionis, quam à te accipiunt, quæ perfectio, quò magis ad tuam accedit, eò illa sunt perfectiora. Tu es mihi omnia, quæ desiderare possum; tu meæ diuitiæ, meæ delicia, mei honores & dignitates, primigenia mea iura, & thesauri infiniti; in te solo, sine vllis alijs rebus, omnia habeo; quæ tamen omnia, sine te, erunt mihi quasi nihil. O Anima mea, si perfectionem quæris, amplectere Deum; & in eo inuenies illam purissimam, absque vllius imperfectionis commixtione; Si cupis pulchritudinem, respice & contemplare Deum; quia in illo est tota, absque vllius deformitatis mixtione; Si bonitatem diligis, dilige Deum; in quo illa summè resplendet, nulla admixta malitia. O DEVS meus, & omnia mea, quando veniam, vt te clarè videam in tua gloria, vbi operaris omnia in omnibus, in secula, Amen.

Hoc verbum copiosissimam Meditationis materiam continet, maxime si ei adiungatur, quod Pater Filij prodigi, suo maiori nato filio dixit: *omnia mea tua sunt*. Quare, vt, quæ in eo continentur, altiùs penetremus,

discur-

discurrendum est per omnes gradus perfecti-
onis essendi, qui sunt in rebus creatis, redu-
cendo illos ad quatuor vel quinque, ut in sub-
iectis punctis apparebit.

PUNCTVM II.

SECUNDO est considerandum, quodd in
DEO Domino nostro, sint eminenter
omnes perfectiones, creaturarum primi
ordinis & gradus, scilicet corporalium vitæ
carentium, cœlorum inquam & eius stella-
rum, & planetarum; quatuor item elemento-
rum, & omnium mixtorum, quæ ex eis gene-
rantur; & metallorum omnium, auri, argen-
ti & lapidum pretiosorum: nam hæc omnia
creavit Deus, deditque illis pulchritudinem
& splendorem, quem in se habent; & pro-
prietates ac virtutes, quibus res stupendas o-
perantur: quorum omnium perfectiones, sunt
in ipso Deo, alio modo infinite perfectiori.
nam quod in creaturis ipsis, ob imperfectio-
nem ipsarum, vitæ caret, in ipso Deo habet vi-
tam. iuxta illud: *a quod factum est, in ipso vita*

a Ioan. 1.3.

S. August.

& Beda, &

alij.

erat: quod scilicet factum est, antequam reip-
sa fieret, in Deo erat vita; quia Deus habebat
intra seipsum valde eminenter vitam perfe-
ctionem, quam suis creaturis erat daturus, &
vitam illarum Ideam, sicut artifex habet in
se Ideam rei, quam est facturus.

HINC fit, quod possit Deus Dominus noster,
absque his creaturis, facere, quod illæ faciunt:

verbi gratia, illustrare mundum sine sole, calefacere sine igne, refrigerare absque vento, humectare absque aqua, & producere absque terra, quod cum illa producit: quia habet in se virtutem & perfectionem horum omnium: quod si his creaturis utitur, id provenit, non quod illis indigeat, sed ut infinitam suam bonitatem ostendat, ut postea videbimus.

III.

HINC est etiam, quod Scriptura sacra, ad perfectiones Dei nobis declarandas, tribuat Deo nomina harum creaturarum, appellans illum *solem iustitiæ*, *stellam matutinam*, *ignem* consumentem, *fontem aquæ viæ*, *spiritum*, qui ubi vult spirat: Diuitias verò eius gratiæ & gloriæ, declarat nominibus *auri*, *argenti*, & *lapidum pretiosorum*: ex quarum rerum pulchritudine & elegantia, & admirandis earum proprietatibus, ascendit ad contemplandam pulchritudinem & elegantiam DEI, & sublimes eius proprietates.

IV.

ITA tamen hæc nomina Deo tribuuntur, ut quidquid in rebus his creatis conspicitur, sit umbræ instar aut figuræ, & quasi nihil; si cum eo, quod est in Deo, conferatur: cuius comparatione cœli non sunt mundi, sol non splendet, luna non est pulchra, & omnis pulchritudo est deformitas. Singulis hisce considerationibus, debeo cor meum excitare ad affectus admirationis, amoris, laudis, & gaudij, quod habeam Deum
adde.

adeo pulchrum, & in omnibus adeo perfectum.

O DEVS infinite, gaudeo quod sol & luna, tuam pulchritudinem mirentur, agnoscetes nullam esse, quam ipsi habent, si cum plurima tua conferatur. O Dilecte cordis mei, si ita me oblectat pulchritudo, & perfectio harum creaturarum, cur me non amplius oblectat pulchritudo & perfectio tua, ex qua illæ processerunt! Diligam te præ omnibus, qui infinite pulcher es, & perfectus præ omnibus; nec illas diligam, nisi propter te, à quo illæ accipiunt quidquid perfectionis in se habent.

HINC etiam intelligam, quanta sit amenitas, Deum qui infinite perfectus est, relinquere, ut harum creaturarum perfectione & pulchritudine fruatur, propter delectationem, aut emolumentum, quod ex earum possessione mihi potest obuenire: si quidem Scriptura teste: *a omne aurum in comparatione illius, arena est exigua, & tanquam lutum aestimabitur argentum, & omnes diuitiæ quasi nihil reputantur.* Oblectatio autem, quæ ex eis procedit, est sicut aqua, quæ fluit in b *cisternas dissipatas, cuius causa malum est derelinquere fontem aquæ viuæ, & infinitum eius perfectionis thesaurum.*

DENIQUE in id incumbam aliquando, ut discurrens per proprietates aliquarum creaturarum, intelligam perfectiones, quæ sunt in ipso Deo, qui cum illis comparatur: sicut fecit Sanctus Dionysius, computans tri-

a Sapi. 7. 9.

b Jerem. 2. 13.

V.

Lib. de Cælest. Hierarchia c. 15.

c Deut. 4.
24.

ginta quatuor ferè ignis proprietates, per quas tanquam per quædam vestigia, inuestigabat proprietates quæ sunt in Deo, qui vocatur *c ignis consumens*: id quod faciam gaudens, quòd Deus totum illud habeat, & multo plus; & quod per se ipsum possit, quod facit per suas creaturas.

PUNCTVM III.

a Psal. 49. 17

EODEM modo considerandum est, quòd in DEO Domino nostro, sunt etià eminenter perfectiones secūdi gradus creaturarum corporearum, quæ scilicet vitam habent vegetatiuam; augentur, & crescunt, sibi que similes generant: quales sunt arbores, plantæ, herbæ, & flores odoriferi, quorum proprietates nobis manifestantur per fructus, folia, & semina quæ producunt per virtutem à suo Creatore illis inditam, in quollæ sunt cum infinita excellentia; de qua ipse gloriatur, dicens: *a pulchritudo agrimecum est*, arborum videlicet omnium, plantarum herbarum, & florum, qui sunt in hortis, & campis huius vniuersi; & ob eam rem modò appellatur lilium, modò vitis, modò arborvita: ex quibus eliciendi semper sunt aliqui affectus; vt in proximo puncto est dictum.

EODEM modo sunt etiam in Deo perfectiones omnium viuentium, quæ etiam sentiunt; quales sunt animantes terræ, aues aeris, & pisces maris, quæ sunt innumerabiles & ad-

miran-

mirandæ. Nam in quibusdam eminent magnitudo, in alijs fortitudo, in alijs velocitas, in alijs pulchritudo, in alijs astutia & sagacitas; quæ omnia inueniuntur in Deo, cum excessu infinito. Et ita in Diuina scriptura comparatur cum his animantibus, vt ex earum perfectionibus, ascendamus ad eas cognoscendas, quas in se ipse habet. Vocatur enim leo ob fortitudinem; Agnus, ob mansuetudinem; ceruus, ob velocitatem; & aquila, propter pietatem. Ita tamen horum perfectiones sunt in Deo, vt non sint simul imperfectiones, quas habent in ipsis creaturis. Est enim in Deo fortitudo leonis, sed nulla ibi est crudelitas; est Agni mansuetudo, sed non est eius simplicitas; & sic de cæteris.

Ex quo constat, posse me ex singulis, quæ video, vbi est perfectum & imperfectum; bonum & malum; pulchrum & deformem, intelligere infinitam Dei perfectionem, remouendo ab eo, quidquid est mali, imperfecti, & deformis; & solum in eo collocando, quod bonum est, perfectum & pulchrũ, & alio modo perfectionis excellentioris. O Dilecte mi, sicut *separo in te pretiosum à vili*; vt te cognoscã: *levem. 15. 19* ita desidero separare in me pretiosum à vili; vt tibi placeam. Concede mihi, Domine, vt per tuam gratiam, particeps sim altissimæ huius diuisionis, quam tu habes per naturam; vt liber ab imperfectionibus, purus maneam, & perfectus in virtutibus.

PUNCTVM. IV.

I

QVARTÒ considerandum est, etiam esse in Deo omnes perfectiones creaturarũ intellectualium, tam hominum quàm Angelorum, quos ipse ad imaginẽ & similitudinem suam condidit; quibus dedit Esse spirituale, q̄ habent; memoriã, intellectũ, voluntatem & liberum arbitriũ; artes, scientias, virtutes, gratias, potestatem & excellẽciam, quæ in omnibus & singulis relucet. Ex quo fit, vt oēs hæ perfectiones sint in Deo, cum infinite maiori excellentia; ac propterea dixit ipse in quodam Psalmo: *a qui plantauit aurem, nõ audiet? aut qui finxit oculum, non considerat? qui docet hominem scientiam, erit eius ignarus? & qui dat virtutem & sanctitatem, eã carebit? & qui dat potestatem, quam ipsi habent, spoliabit se illa?* Quare, cum videbo hominum ingenia, in artibus & artificiosis operibus, ad inuenienda habitandi ædificia, ad conflanda vitra, ad cartam conficiendam, telam texendam, picturam, musicam, & similia; statim conscendam ad considerandam infinitam Dei sapientiam, ex qua tanquam fonte & origine, omnes hæ inuentiones processerunt: & quando videbo prudentiam, & prouidentiam Regum & Gubernatorum in sua gubernatione, & virtutes altissimas, quæ resplendent in sanctis & viris perfectis, leuabo oculos ad considerandam infinitam excellentiam Dei, in

a Psal. 93. 9.

hice

hiscē omnibus rebus, eum propterea laudando, glorificando, ac diligendo.

Ex quo deducam primū, Deum Dominum nostrum, esse infinitum exemplar omnīs perfectionis, quod semper respicere debeam, tum ut infinitas eius perfectiones admirer, in quibus nullus possit illum imitari; tum ut exciter ad eas imitandas, in quibus licet eum imitari; iuxta illud quod Redemptor noster suis discipulis dixit, *bestote perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est*: quasi dixerit; contendite, ut nulla perfectio virtutis vobis desit ex omnibus quas potestis obtinere; sicut Pater vester, ita est in omnibus perfectus, ut nulla illi desit. O Pater perfectissime, à quo omnis perfectio procedit; da mihi, quam habere me iubes; quò sic habeam, quam tu vis me habere.

I.

b Mat. 5. 48

DEDUCAM deinde, quòd sicut arbor ex fructibus cognoscitur; nam arbor bona fructus bonos facit; ita Dei perfectio, ex eius operibus deprehenditur; dicente scriptura; *vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona & d perfecta*. Nec solum id apparet in rebus magnis, quales sunt cœli & elementa; sed etiam in minimis, quales formicæ, & vermes; Ad eius itaque imitationem studebo & ego esse perfectus, ostendens perfectionem meam in rebus omnibus magnis & parvis: *conando, iuxta consilium Sapientis, in omnibus rebus præcellens esse.*

II.

c Gen. 1. 31.

d Deut. 32.

4.

e Eccl. 33. 23

DENIQUE sicut res imperfecta, pro perfectione, quæ illis deest, recurrunt ad perfecta in eo genere; sicut cui deest calor, accedit ad ignem; ita ego cum me videam imperfectum, ad eum merito accedam, qui est infinite perfectus, ut me perficiat, dando quod mihi deest. O Deus infinite, *f imperfectum meum viderunt oculi tui*; à te accepi, quod habeo: tu ergo mihi dabis, quod deest; perfice Domine opus, quod incepisti, me ita perfectum faciens, ut nihil mihi desit, Amen.

f *Psal. 138.*
16.

PUNCTVM IV.

I.
S. Thom. 1.
p. 1. 3. 4. 7.

QVINTÒ considerandum est, omnes has perfectiones, quas in Deo esse diximus; quamvis sint aliàs innumerabiles, quantum in creaturis sunt dispersa, in ipso tamè Deo omnes esse unicam, eamque simplicissimam, in qua omnes contineantur, sicut multa minutæ pecuniæ in vna aliqua maioris valoris; Sic inquam in Deo vna eademque res est eius Sapientia, eius bonitas, charitas misericordia, omnipotentia, fortitudo, & reliquæ, absque vlllo compositionis, aut diuisionis genere: nam singulæ perfectiones reliquas occupant, ita ut eius bonitas, sit ipsa sapientia, ipsa omnipotentia; & omnipotentia eius, sit ipsamet sapientia, ipsamet bonitas, & sic de cæteris. Et propterea fortè dixit sapiens: *quod Spiritus Dei sit vnicus & multiplex: & qui capit omnes spiritus.* Ex quo fit, ut non solum in

3 *Sap. 7. 22.*

vni-

Vniuersi huius Machina, sed in singulis etiam
 per se Dei operibus, resplendeat coniunctio
 & vniö admirabilium eius perfectiönum, ex
 qua cognoscere liceat, eius Creatorem esse
 potentem, sapientem, bonum, infinitum ama-
 bilem, &c.

HINC affectus duos & firma proposita cö-
 cipiam. Primum est, intimum desiderium i-
 mitandi infinitam hanc diuini esse simplici-
 tatem, in purissima intentionis meæ simplici-
 tate & sinceritate; studendo, vt in omnibus
 meis actionibus, etiam si plurimis, resplen-
 deat vna perfectissima intentio placendi soli
 Deo, quöd ipse talis sit, in quo continentur
 virtute magnę perfectiões: cuius causa Chri-
 stus Dominus dixit: *b si oculus tuus fuerit sim-
 plex, totum corpus tuum lucidum erit.* O Deus
 perfectissime, illumina oculum cognitionis
 meæ, vt in creaturis omnibus, respiciam te
 earum Creatorem, à quo illæ suam perfectio-
 nem accipiunt: Purifica & oculum affectus
 mei, vt in illis omnibus, diligam te earum
 benefactorem, à quo illæ suam bonitatem ac-
 cipiunt: Clarifica oculum intentionis meæ,
 vt in omnibus meis operibus, purè ac sincerè
 quæram te vltimum eorum finem, à quo ac-
 ceptura sunt suum splendorem, quo tu in eis
 glorificeris in secula Amen.

b Mat. 6. 22.
 Luc. 11. 34.

ALTERVM propositum erit, coniungendi
 in singulis, meis operibus varietatem Prin-
 cipalium virtutum, quæ in eis possunt

resplen-

replenderet; ita ut singula opera, sint suo modo vnum, & plura, & complectantur multos spiritus & effectus Dei. nā si oro, aut ieiuno, aut Eleemosinā facio, hoc opus potest habere adiunctos affectus amoris Dei, fiduciæ, obedientiæ, humilitatis, timoris filialis, & alios similes. Et hac fortè de causa Christus Dominus noster, intentionem vocavit oculum; & eius opus, corpus; significans, quod sicut corpus habet multa membra & partes; ita singula opera, varia debent habere virtutum exercitia, omnia verò directā oculo simplicissimo puræ intentionis, ad gloriam solius Dei.

MEDITATIO VI.
DE SVMMA DEI BONITATE ac sanctitate.

S. Thom. 1.
2. q. 6.

a Gen. 1. 31.



PLEX est bonitatis modus in creaturis: nam altera est naturalis, in eo posita, ut omnes partes habeat, quæ iuxta naturam suam continentur: quamobrem causa dicit de illis scriptura, *Adiudicavit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona: Altera est bonitas moralis, propria creaturarum intellectualium; quæ cōsistit in exercitio omnium virtutum. & exercitationis, earum, quæ*